



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. Quodnam sit Objectum formale Spei Theologicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

v.g. Canonicus aliquis non commutaret sapè probabilitatem de consequendo Episcopatu cum aliquo beneficio exiguo, sed certo. Piscatores vendunt certo pretio jactum retis, & probabilitatem capturae, non vendituri pro inferiore pretio.

Noto 4. Spem vel semper, vel saltem plerumque versari circa bona incerta, & propterea de his maximè nostram Conclusionem explicabimus; nam si Spes potest aliquando versari circa bonum certum, facilè doctrina nostra applicabitur.

488. Noto 5. Spem suscipere magis & minus: dicimur enim multum vel parum sperare, dicitur Spes crescere & decrescere. Desperatio autem strictè loquendo non videtur suscipere magis & minus: nam licet soleamus dicere: nos paulatim desperare, vel, incipere desperare, tantum significare volumus propensionem vehementem ad desperandum! His positis

489. DICO 8. Formalis ratio Spei consistit in Amore vel Gaudio appetitativo seu aestimativo, quo liberè probabilitatem boni desiderati, quantumvis arduam & incertam, praefertur alijs bonis impossibilibus: adeoque ultra Desiderium dicit talem actum, quo formaliter vel virtualiter dico: *Ego hujus rei futuritionem, tamen si incertam vel arduam, adhuc tamen in pretio habeo, nec cum hoc vel illo bono, quantumvis certo, commutarem, si reflexè cognoscerem alterutro cendum esse.* Quapropter eò major dicitur esse Spes, quò pluribus bonis impossibilibus praepositur & praestimatur bonum incertum. Probatur Conclusio: quia hac ratione evitantur difficultates aliarum opinionum relatarum, nec patitur aliquam specialem.

490. Confirmari potest ex communi modo loquendi hominum doctorum aequè ac indoctorum: v.g. quando quis vendit alteri fructus incertos, vel capturam incertam, dicitur alicui vendere Spem suam: item, quando quis cum adversario suo paciscitur, ut desistat ab actione, quàm suum jus probabile prosequitur in Judicio, dicitur emisit Spem alterius. Hinc jam

491. Explicatur primò, quomodo possit nobis liberum esse, non solum sperare, sed etiam magis vel minus sperare; nempe, quia liberè possumus probabilitatem objecti magis vel minus appetere, praefertendo electivè & affectivè pluribus aut paucioribus bonis impossibilibus.

492. Explicatur 2. Quomodo talis amor habeat naturam Intentionis efficax, sive objectum speratum sit comparandum per media à nobis adhibenda, sive consequendum ex beneficio alterius, sine nostra vlla cooperatione. Semper enim est appetitatio efficax virtualiter, & quidem ex duplici capite. primò, quia vi talis actus sum ita constitutus, ut si in mea potestate esset, commutare probabilitatem illam incertam cum Bono A. B. C. hoc est, si deberem abrenuntiare bono sperato ad consequendum bonum A vel e-

contra, sum, inquam, ita constitutus, ut egerem hoc posterius præ illo; sicut ex simili fundamento dicitur Amor Dei esse efficax, præter Deum omnibus. 2. Est virtualiter efficax, quatenus vi talis actus adhiberemus media, si quæ adhibenda à nobis essent, saltem in eo gradu, quo adhiberemus pro bonis postpositis.

493. DICO 9. Desperatio formaliter est actus quidam nolitionis, quo bonum aliquod desideratum propter consecutionis incertitudinem vel impossibilitatem nihili facimus, in alio pretio habemus, cum quovis alio bono commutarem. Declaratur. Quando enim desperamus, tunc omnem animum deponimus illud bonum consequendi, non ex odio aut contemptu illius objecti, sed propter consecutionis incertitudinem vel impossibilitatem, & virtualiter dicimus, nos nolle vllum medium adhibere proliius consecutione: quamdiu enim vel levissimum medium parati essemus adhibere, tandem verum esset dicere, nos necdum penitus desperasse, sed omnem spem deposuisse. Quando ergo consecutio boni apparet incerta & dubia, Desperatio est libera; quando verò apparet evidenter impossibilis, est necessaria.

CONTROVERSIA II.

Quodnam sit Objectum formale Spei Theologicae.

494. PRIMA Sententia est Durandi, assertantis adaequatum objectum formale Spei aliquid creatum, nempe Visionem Dei. Sed hanc Sententiam improbant omnes ceteri; et hac ratione Spes non esset Virtus Theologica, quia non haberet pro motivo vllam perfectionem divinam.

Secunda, valde communis est, objectum formale esse Deum ut nostrum bonum, adeoque complexum ex Deo & visione ejusdem.

Tertia docet, objectum formale adaequatum, esse, Deum ut auxiliatorem, cum ipsius virtutibus quæ conferunt ad præstanda auxilia, velut Scientia, Omnipotentia, Bonitas &c. In quoque, Maratius, Turrianus, Lugo. Quarta Sententia conciliat secundam & tertiam, & docet motivum formale primum, cuius gratia, est Deum, ut summum bonum à nobis possidendum, objectum verò formale secundarium & ultimum, esse Deum ut auxiliatorem, & ab hoc Spei strictè dictam accipere suam speciem.

495. DICO 1. Objectum formale Spei consideratæ secundum formalitatem desiderii, est Deum ut in se summè bonum, & cuius bonitas intrinseca evadent nostra bona, quando illum vobis & amabimus amore beatifico. In quoque objectum, quod desideramus, est Deus, ratio cuius gratia desideramus, est ipsa intrinseca beatitudo Dei, summæque felicitas ac perfectio, quatenus

set nostra felicitas, per metaphoricam identitatem cum Deo, scilicet per affectum amicitiae, ut explicui lib. 2. agens de Beat: objectiva. Probatur primò ex Scriptura. Genes. 15. *Ego merces tua.* pl. 71. *Pars mea Deus in aeternum.* Vnde S. Augustinus in pl. 102. *Erige Spem tuam ad bonum bonorum omnium, ipse erit bonum tuum, à quo omnia in suo genere facta sunt bona.*

496. Hinc redditur ratio, cur Spes sit Virtus Theologica, non item Religio, vel obedientia erga Deum. Nam Religionis objectum formale & motivum, est honestas objectiva quae reperitur in cultu Dei, qui tamen cultus non est possessio bonorum intrinsecorum Dei; & ideo, id quod motivum Religionis importat in Recto, est aliquid merè creatum. Contra objectum formale Spei, sunt bona intrinseca Dei, ut à nobis per Visionem & Amorem possidenda, & quantumquam forma denominans constituent nos Beatos, adeoque Visio tantum ingreditur motivum in obliquo, tanquam visio formae beatificantis, ut loco citato pluribus declaravi.

497. DICO 2. Spes Theologica, prout est affirmativa & appetitiva, habet pro objecto formali partiali Omnipotentiam & cetera Dei attributa, quae conducunt ad probabilem futuritionem nostrae beatitudinis. Et sic conciliantur Sententiae DD. & est omnino ad mentem Angelici Doctoris q. 7. de Spe a. 1. in C. & in respons. ad 4. his verbis. *Sicut formale objectum fidei est Veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentit his quae creduntur, quae sunt objectum materiale Fidei, ita etiam Objectum formale Spei est auxilium divinae potentiae & pietatis, propter quod motus Spei tendit in bona sperata.* Item a. 4. in C. Spei, inquit, secundum quod est Virtus Theologica, objectum formale est auxilium divinum cui inhaeretur: & quamvis sub hoc formali objecto multa materialia sperata comprehenduntur &c. Probatur Conclusio ex dictis. Nam, ut vidimus, Spes non est merum desiderium, sed est quaedam appetitiva voluntas, propter probabilitatem objecti: ergo quia talis debet habere objectum formale specificativum sui: atqui non est aliud, quam assignatum in Conclusionem. Ergo &c. Confirmatur, quia sic apparet, quare Spes sit Virtus Theologica, & quomodo illius motivum sit Perfectio divina.

CONTROVERSIA III.

Quodnam sit objectum materiale Spei Theologicae.

498. Objectum Materiale Spei est omne illud, quod à Deo speramus; & principale ac primum est Beatitudo nostra. Observandum tamen est, quodam esse objecta materialia simul & formalia, non tamen ultimata, respectu alterius objecti materialis: huiusmodi sunt auxilia sufficientia, Bona opera, Preces Sanctorum &c.

Nam licet haec ipsa speremus propter infinitam Bonitatem & Misericordiam Dei, & hac ratione sint objectum materiale Speratum, sunt tamen simul etiam id propter quod speramus alia ad quae conducunt, nempe augmentum Gratiae & Gloriam: Simpliciter tamen & absolute dicenda sunt objecta materialia Spei Theologicae.

499. Dubitatur 1. an objectum materiale debeat esse aliquid à Deo promissum. 2. Negativè. Primò; quia speramus auxilia efficacia, Bona Temporalia, perseverantiam finalem &c. quae cum fiducia petimus, & tamen haec non sunt promissa absolute petentibus & orantibus. Secundò & à priori: quia non sola Fidelitas, sed etiam alia Dei attributa sine Fidelitate possunt movere Voluntatem ad Sperandum.

500. Dubitatur 2. An objectum materiale debeat semper ab actu Spei Theologicae referri in ultimum finem aeternae Beatitudinis. Affirmat Ripalda. Alij verius id negare videntur. Probatur: Possumus sperare actu Supernaturali à Misericordia seu Clementia Dei, sanitate, pluviam &c. absque omni actuali relatione in Ultimum Finem: atqui talis actus esset actus Virtutis Theologicae: & non Fidei aut Charitatis: ergo Spei. Majorem admittit Ripalda. Minor probatur. Omnis ille actus est Virtutis Theologicae actus, cujus motivum Formale parziale est aliqua perfectio intrinseca & primaria Dei: sed illius actus objectum Formale parziale est Misericordia Dei: ergo &c.

501. Respondet Ripalda, objectum Formale Spei principale, esse Deum ut nobis Bonum. Sed contra, primò, ad hominem. Etiam objectum Formale principale Fidei est Veracitas, & tamen secundum Ripaldam etiam sine Veracitate, sola Fidelitas aut Omnipotentia Dei potest esse objectum Formale Fidei. Contra 2. Quia non potest assignari alius habitus supernaturalis, à quo ille actus Spei producatur. Respondet Ripalda, produci ab illo habitu ad quem pertinet desiderium honestatis quae reperitur in illo objecto, v.g. si amore studij desideres sanitate, producet ab Habitu Studiositatis. Sed Contra est, quia sic omnium Virtutum moralium objectum formale parziale, saltem pro aliquo casu, esset Perfectio divina, quod mihi novum est.

CONTROVERSIA IV.

Quonam sensu Spes Theologica sit certa.

502. Spem esse certam conveniunt Theologi cum S. Thoma & habetur ad Hebr. 6. Qui confugimus ad tenendam propositam Spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam. Trid. sess. 6. c. 13. requirit Spem firmissimam. S. August. Praefat. ad ps. 123. *Spes nostra, inquit, tam certa est, quasi jam res perfecta sit.*

Controversia est, in quonam haec Certitudo Spei consistat. Hurtadus vult consistere in absoluta